DE DIABETE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINAE...

Giovanni Domenico Santorini

DE

DIABETE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

OBTINENDAM

PROPONIT

JOANNES DOMINICUS SANTORINI

DE SPILIMBERGO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVI

ALL' OTTIMO E CARISSIMO

ZIO

GIO: DOMENICO SANTORINI

L' AUTORE

Non ad altri più giustamente che a Voi può appartenere questo primo frutto che io colgo sul termine delle scolastiche mie fatiche. In tenerissima età, per somma sventura, orbo del Padre Voi mi veniste reggendo colla sollecitudine di un Padre novello, e tanto è l'obbligo onde io vi sono tenuto, che

non arriverò a sdebitarmene mai. Questa mia gratitudine compagna eterna delle mie operazioni avvenire vi sia conforto se mai sorgesse a contristarvi la rimembranza che io avessi in alcun tempo fallito le vostre cure. Accettate di lieto animo il tenue dono che v' offro. Lunghi e tranquilli vi scorrano i giorni; e la saggezza e l' integrità de' vostri costumi sieno ancora per molti anni specchio alla Patria.

Diabetes, de quo nunć agendum est, morbus rarus in re, primoque intuitu rarior, quoniam male agnoscitur a medicis parum attentis, quoad quantitatem urinaeque saporem.

Auctores non conveniunt in definitione diabetis; alii hoc nomine vocarunt omnem urinae extraordinariam evacuationem, alii secretionem copiosam, quae intervenit post accessum affectionis spasmodicae, alii quae locum tenet in morbo acuto et phlogistico. Non est hoc quidem abuti verbis, et morborum symptomata confundere? Quantitas urinae est variabilis, et non raro ordinem naturalem excedit. Sunt alii qui copiosam urinam dant, alii, quorum corpus frequenti sudore manat. Saepe saepius in paroxysmis hystericis et hypochondriacis enormis urinae evacuatio extat; idem invenitur, existente dentitione, in morbis rheumaticis, in crisi febris vascularis acutae, et hydropis, juxta medicamina et diuretica alimenta. In omnibus fere morbis in quibus systema vasculare et nervosum magnam partem habet, et in iis in quibus systema digestionis et urinae, urina ipsa naturalem consuetudinem mutat, et si vigeat

dispositio ad renellam, aut ad calculum, quantitas et qualitas urinae diversificatur. Quis ergo non videt talia phaenomena anomala morborum particularium omnino dissimilium a morbo, de quo loquimur, effectum esse?

Alii putaverunt, sufficientem diabetis ideam porrigere, quod in hoc morbo potus per urinas ut in natura restituuntur. Ne haec quidem definitio recta, quoniam non sunt potus qui evacuantur, sed quaedam particularis urinae ratio. Incertum autem est, variis etiam casibus a Knebel refertis, si possibilis sit lienteria, ut ita dicam, urinosa, et si umquam re extiterit, sed hoc quidem admisso, esset semper morbus diabeti dissimilis, qui duos singulares characteres patefacit, idest rapidum vix immissi potus transitum, qualitatisque immutationem.

Celsus opinatur diabetem non existere, nisi quantitas urinae evacuatae totam assumpti potus massam aequiparet, labefactaque sit salus; sed haec non exclusiva diabetis symptomata, sed aliorum morborum propria.

Res definitur aut quoad essentiam, aut quoad totas ejus proprietates, aut tantum quoad aliquas, quae sint aliarum origo, quae sint magni ponderis, et per quas ab aliis distinguatur. Essentia morbi juxta primam definitionem declarari non potest; indicare enim tantum phaenomena status morbosi, inter haec principalia et characteristica seligere oportet.

Ii ergo, qui per diabetem intellexerunt diar-

rhoeam, consumptionem urinosam, superabundantem urinae fluxum, videntur recte ejus genericum et distinctivum characterem expressisse. Aptiorem autem definitionem Reil dedit.

» Diabetes consistit in assidua materiei nutriti» vae evacuatione, per vias urinarum, quae mate» ries assumit formam liquidae gelatinae aut sac» charinae solutionis, ex hac evacuatione fames » sitisque inexplebilis, et compagis universalis ma» rasmus.» Haec quidem definitio comprehendit duas diabetis species, idest mellitum, et insipidum.

Diabetes non est morbus frequens, nec in omnibus casibus facile agnoscitur, sed eorum opinio falsa, qui esse diabetem novum morbum asserunt. Signa characteristica inveniuntur in medicis remotioris antiquitatis scriptis. Majores nostri per scientiae defectum veros et positivos characteres agnoscere non potuerunt; cum rarus esset morbus pauca exempla in antiquis invenimus. Galenus duos refert casus quibus omnes adnixi fuerunt, qui postea de hoc morbo locuti sunt. Aretaeus ampliore extensione descripsit. Cognitio autem accuratior, quamvis imperfecta, nostris incipit temporibus, idest quando Dobson, Cullen, Home, Frank, Marabelli, Rollus multique alii, animali chemia adjuti operam dederunt, ut obscurae hujus morbi propositiones patefierent. Videtur autem quod multi ex illis, quoad ejus raritatem nimis observassent. Matthaeus Dobson affirmat novem diabete affectos agnovisse, Cullen

viginti, sic multi alii, dum Franchi auctores ne verbum quidem fecerunt. Dessault subjungit: error forsan non extitit in morbi examine? forsan confusa non fuit cum diabete urinae incontinentia, praecipue illa quae locum habet in retentionibus cum gurgite, et in quibus cum nullum subsidium adsit quasi eadem symptomata apparent, sicuti macies, virium prostratio, febris etc.? Haec suppositio procedit ab incuria, qua eorum necroscopia instituta fuit, quorum mortis causam hunc morbum fuisse putabatur. In plerisque renes et hepar observarunt, et quamvis nulla in his organis adfectio adesset, perquisitiones supra vesicam non induxerunt, aut hoc viscus amplum urinaque refertum invenerunt.

Rarius hic morbus se statim patefacit, et prodroma praecedunt quae per menses subsistunt. Aeger appetitus est semper inconstantis, phaenomena aciditatis in ventriculo, emesi affectus, torpidus, macie conficitur quamvis bene edat, ejus respiratio brevis, tussis arida, eruptiones scrofulosae superveniunt, glandulae lymphaticae tumefiunt, superiusque labium, ab initio morbi urinam frequenter emittens, interdum caloris tantum aut frigoris sensus qui a ventre ad vesicam producitur, urinaeque quantitas quotidie major citius potus massam excedit. In primo morbi stadio fames sitisque inexhauribilis, quae usque ad morbi finem absque interruptione perdurant, et si deficere videntur incremento morbi resurgunt. Interdum excretio urinae molesta, et sensationem

doloris ac distensionis ad renalem regionem affert. Pluries autem urina sine molestia, et faciliter evacuatur. Quantitas urinae summopere augetur, et Knebel refert casus in quibus urinae copia diu noctuque evacuata, octuaginta, nonaginta, et centum libras excedebat. Similes casus Ploucquet, Rollus, Frank referunt. Baratti narrat quamdam Monacham Venetam, quae ab omni potus genere abhorrebat, nonaginta diebus tres mille sexcentas octuaginta quatuor urinae libras emisisse. Qualitas praecipue urinae degener fit, alba colore, saepe turbida, sero lactis similis apparet; peculiarem odorem urinosum non servat, sed potius mellis diluti, sapore quidem dulci viget, materiem cineraceam et valde densam deponit, quae gradatim in fermentationem prius vinosam, dein acidam ruit. Willis, Metz, Dobson, Hunghes, Blak, Wermer, et praecipue illustres Chemici, Anglicus Cruickshank, Pavensis Marabelli, sicuti Vanquelin, ac Segalas diabeticorum urinam diligentissimae chemicae analysi subjecerunt. Vix evacuata odorem sicut animalis juris emittebat; tinctura-heliotropii principio acido praeditam esse demonstravit; ex octuaginta Reaumur gradibus acida fit, ulterius putrescit. Materiem saccharinam continet, crystallisabilem, quod agnoscitur ex ejus dispositione ad alcoholicam fermentationem, et quamvis interdum non sit saccharina, ipsa pariter est fermentabilis. Hoc ultimo in casu Marabelli pro saccharo materiem mucosam invenit, quae, ut ipsi videtur, saccharo basim praebet. Di-

versificatur autem quantitas residui melliti ac mucosi, quod nunc duae drachmae, nunc octo, nunc quatuordecim in una tantum urinae diabeticae uncia inventae sunt. Deest omnino urea, acidum uricum, pauca phosphata, et sulphata continet, saccharo vero pollet et parva quantitate hydrocloratis sodae.

Corpus interim ob hanc continuam evacuationem macie conficitur, viribusque depauperatur. Repressa cutanea transpiratione, cutis arida fit, furfuracea, squamulis contecta, et saepe etiam urens: consumptio in dies augescit. Si urinae breviter desistunt, venter tumescit. Pulsus parvus fit ac intermittens. Aegri tandem omnia extrema marasmi symptomata offerunt, et fluidis consumptis, circulatio deficit, et obeunt.

Ex his omnibus deducitur symptomata pathognonomica diabetis in vitiata urinae qualitate consistere, cujus fluxus normalem quantitatem exsuperat; quae sicut aqua limpida, aut lactis sero similis, dulcis saporis. Quoties haec phaenomena sensibilia fiunt, tunc hujus morbi diagnosis certa. Cum ergo sit aegrotus famelicus ac sitibundus, qui bene digerit, qui febris vascularis phaenomenis caret, emaciatur, viresque amittit, tunc suspiciendus diabetes, et ad nos ejus urinam diligentissimis investigationibus subjicere spectat.

Varia est hujus morbi perduratio. Saepe saepius chronicum decursum offert, et per menses ac per aliquot annos protrahitur, in aliquot casibus usque ad individui vitae finem, nec ad ejus

mortem contribuere videtur, alio in casu ita remitti, ut aeger putet se ad valetudinem reduci.

Diabetis typus generatim est continuus, vel remittens. Aegri autem ordinario noctu, quam diu urinam magis evacuant. Interdum in ipso morbi stadio brevia intervalla adsunt, in quibus urina adspectum normalem quoad odorem ac saporem assumit. Diabetes vero intensitate nova et aucta apparet. Borichius diabetem periodicum observavit, et morbus omni mense in scenam prodibat, triduum perdurans, quo tempore aeger urinae libras circiter septuaginta emittebat, cum potus vix librae unius assumeret.

Variae adsunt diabetis species. Veteres diabetem verum atque spurium agnoscebant. Verum dum quantitas urinae potus excedebat, dum urinae erunt flavae, albae chylo similes, purulentae, sapore dulci ac saccharino, et spurium, dum urinae erant parum elaboratae, colorem ac potus naturam servabant. Diabetes autem spurius, scilicet copiosa urinae evacuatio, ut in paroxysmis hystericis falso diabetes appellatur. Diabetes verus in varias alias species subdivisus fuit, sicut diabetes mellitus; insipidus; chyluria; lienteria urinosa, uti supra diximus, et dipsacus, seu sitis inexplebilis. Dipsacus non est per se morbus, sed tantum symptoma, et hoc modo ad plures morbos spectat. Aeger hac siti affectus incredibiliter bibit, urinaeque quantitatem incredibilem evacuat. Ceterum in dipsaco urina emissa, ordini naturae consueto sua qualitate respon-

det, et quantitas potus copiae; et ideo si dipsacus diabeti unitur, ipsius diabetis est symptoma.

Diabetes chyluria, aut coeliaca urinosa, ille appellatus fuit, in quo succus lacteus immutatus, et vix digestione alimentorum egressus transit, et evacuatur per urinarum vias. Et revera inter varia hujus morbi exempla ex variis auctoribus deprompta, agnoscitur, ipsos tantum colorem urinae sero lactis similem, quin veram hujus liquidi naturam perquirerent, observasse; et hinc in errorem inductos; et quidem materies alicujus ulceris purulenta, et materies mucosa, et catarrhalis vesicae urinariae affectio, et leucorrhoea, substantias chylo lactique similes producunt, et Reil non convenit quod, juxta Stöller, color urinae candidus e lacteo succo procederet, cum ipse affectionem vesicae urinariae vidisset, in qua idem phaenomenon inerat. Quod si interdum urina diabetica colorem albastrum praeseferat, non ideo morbus adpellandus erit chyluria; non enim color ille debetur chylo in ipso contento, verum diversae naturae substantiis tribuendus. Quoad autem ceteras diabetis species, idest insipidum, observandum est, quod si per ipsum intelligatur, uti nonnulli opinantur, adfectio, in qua urina pleno gurgite fluit nihil in sua qualitate deterior, nullum habet odorem, vel saporem, nec talis, ut per evaporationem sedimentum aliquod saccharinum efficiat; hoc in casu, mea saltem opinione, adfectio haec non est adscribenda inter diabetis species; siquidem pathognomonicum diabetis signum in vitiata

urinae qualitate reponitur, nec diabetes ibi adpareet, ubi hoc signum deficiat. Haec potius affectio tribuenda mihi videtur auctae urinae secretioni, quae in individuis hypochondria et hysterismo vexatis locum habet, in morbis rheumaticis et spasticis, ob remediorum diureticorum usum; sed hi morbi sunt a diabete dissimiles. In pluribus tamen auctoribus aliqua hujus diabetis exempla invenimus, et Knebel loquitur de duobus casibus, in quibus urina uti aqua limpida erat, et cum analysi subjecisset, nihil ab ordinaria urina differre repetit, et addit quod invita ejusmodi urina, morbus uti verus diabetes processit. Animadvertatur tamen in ipso diabete mellito inesse procul dubio periodos in quibus per aeris evaporationem nullum obtinetur residuum saccharinum. Ergo ne fieri non potuit, ut medici illi in paucis casibus relatis instituentes analysim urinae casu inciderint in talem periodum? Quod si nomine diabetis insipidi complectamur illam diabetis speciem in qua quin saccharina materies evacuetur simul cum urina, materies expellatur gelatinosa mucosa quaelibet, in hoc casu libenter concedam hujusmodi speciem, cum in possibilibus morbi varietatibus comprehendi possit, dummodo semper urina in qualitate turbata retineatur. Darwin, Cotunnius, Pearson exempla hujus diabetis referunt in quibus dulcedinis characterem non praeseferebat; minime autem putrescebat, et in fermentationem acidam transibat, uti habetur in diabete mellito. Divisus pariter est diabetes in protopa-

thicum et symptomaticum, idiopathicum et consensualem. Dessault in duas species diabetem divisit, in alteram quae humorum turbatione producitur, et in alteram quae ex renum adfectione pendet, sed haec altera species minime adpellari potest diabetes, sed uti symptoma renalis affectionis retinenda; nec idcirco speciem peculiarem efficere potest.

Non sine incertitudine et confusione multis causis tribuenda fuit hujus morbi origo. Nihilominus satis patet, loca humida, nebulosa, diuturnos labores, haemorrhagias, nimias sanguinis missiones, purgantium abusus, veneris intemperantiam, usum nimis continuatum acidorum, potiones fermentatas, uti cerevisiam, siceram, inertem vivendi rationem, et quaslibet digestionis perturbationes in diabetem praedisponere. Hic morbus ambos sexus aggreditur, quamvis saepius in hominibus, quam in mulieribus adparuerit; in omnibus socialibus classibus invenitur; tamen major diabeticorum numerus notatus fuit inter virorum nobilium et divitum classem. Plures opinantur esse posse diathesim hereditariam, quae diabetis evolutioni faveat. Rondeletius patrem et natam diabeticos vidit; Frank refert duos fratres diabete pariter affectos, et duos ex ipsa familia simul diabete peremptos; et Thomas casum ferme singularem notavit, in quo tres fratres diabetici obierunt. Frank venenum animale, contagium diabetem producens admisit, natura veneno hydrophobico oppositum habuit; haec autem mera

adstractio est, per quam ut nulla phaenomena explicavit, cetera tamen obscuritati relinquens. Satis sit animadvertere diabetem contagiorum instar, aut venenorum animalium non communicari, materiem diabetis contagiosam nunquam visam fuisse, nec cogitari quidem posse quo loco sedeat, suorum symptomatum specialitatem non repetere necessario sui generis principium ex quo oriatur. Alii auctores invenire arbitrati sunt indolis peculiaris virus, ex quo prodiret diabetes, sed haec opinio fundamento penitus caret.

Quoad prognosim in diabete dicendum est, immediate maleominatam faciendam esse, omnes fere enim affecti, et mortui, et moriuntur. Diabetes plus minusve gravis pro causa, epocha, aetate ac aegri constitutione. Cum morbus hic post diuturnas corporis infirmitates sequitur, et in senectute cum inveteratus est, cum humores in dissolutionem colliquativam abierunt, minime sanandi spes superest. Wintringham affirmat verum diabetem nunquam sanari posse; Cullen, qui tot casuum testis fuit, narrat, per totam Scotiam ne unum quidem restitutum vidisse; Wanswieten tamen nonnullos refert. Frank de medico celebri loquitur, qui cum viginti diabeticos tractasset, nullum sanavit. Si quis autem sanatur, quod rarissimum est, in incerta semper vivit valetudine, et facile reincidere potest. Quoadusque tamen stomachus et intestina integra sunt, idest quoadusque nec vomitus adsit, nec diarrhoea nullus proximae mortis timor habendus. Melioris vale-

tudinis argumenta sunt superficies cutanea, humida et halituosa, sitis et famis imminutio, compagis individualis ponderis auctio, urinae quantitatis defectio; si ab urina ipsa odor et sapor dulcedinis dispareat, si hoc fluidum in flavum dilutum coloretur, veri odoris urinosi transmissio, sedimentum lacteritium, et nulla depositio saccharina per evaporationem.

Hujusce morbi therapeia adhuc incerta et obscura, et remediorum multiplicitas quae nobis proponitur, omnia suspecta reddit. Quilibet medicus generaliter methodum curandi diabetis eligit juxta ideam, qua ipse affectus est de hujus morbi indole. Medici qui diabetis indolem investigarunt in attenuatione et acrimonia humorali, lac commendant, mucilagines, emulsiones; unde gummi arabicum, tragacanthe praescribunt, salep, lichenem islandicum, aliaque remedia nutrientia ac lenientia. Alii morbum sanguinis dissolutioni adscripserunt, et acida mineralia praeferunt, chinam, et omnia remedia antisceptica. Alii opinantur reordinandam esse transpirationem, quae vel suppressa, vel imminuta videtur, et balnea tepida, camphora, et pulverem Doweri exhibent. Alii morbum ex excedenti absorptione per vascula lymphatica repetunt, et frictionibus oleosis utuntur per superficiem cutaneam. Illi autem qui diabetem suspicantur gigni ex renum atonia, adhibent myrrhae extractum, aethiopem martialem, alumen, chalybem, chinam, rheum, et etiam cantharides. Dessault has duas praecipuas opera-

tiones in mente habet; majorem consistentiam humoribus dare, et fluxum per renes vetare. Auctor articuli diabetis in scientiarum medicarum Dictionario retinens diabetem specialiter pendere ex irritatione et auctione actionis renum hortatur, ut id omne adhibeatur, quod horum viscerum actionem laxare potest; hinc hirudines, sanguinis missiones etc. Diaetam animalem praescribit, vegetabilem vero et acidulas potiones vetat (quod in oppositionem incurrere videtur) excusans autem se affirmans nutrimentum animale, et potiones tonicas urinae excretionem generaliter temperare. Doctor Lefèvre et ipse refert diabetis historiam fugati sanguinis missione; huic autem remedio et victus animalis usum associavit. Antiquior curandi diabetis methodus reposita erat non tantum in usu balneorum et humectantium, sed et in usu adstringentium, et vini quae nobis commendantur a Celso, Aretaeo, Mead, Willis, Baglivi aliisque. Inter recentes autem non desunt qui sanguinis missionem laudent, sed fere omnes animalem victum associant, aut aliud remedium contrariae actionis; et Venable quamvis sanguinis missioni quamplurimum faveat, proponit uti proprium ac efficacissimum remedium phosphatem ferri, cui certe minime virtus antiphlogistica tribuenda erit. Verum post Rolli praecepta plures conveniunt victum absolute animalem remedium esse magis proprium et efficax in hujusmodi morbo; alii affirmant ita specificum, uti chinam in febres periodicas. Et Montani nobis quidem hi-

storiam reliquit diabetis devicti usu roborantium ac stimulantium. Frank diabeticum saluti restituit per sal ammoniacum cupreatum ad dosim dimidii grani bis in die sumendam, instituens simul diaetam analepticam; alio in casu animadvertit pariter, assam foetidam radici valerianae associatam diabetis intensitatem minuisse.

Maxime usque ad nos certatum est, et in varias opiniones scissi sunt medici quoad diabetis nosologiam, et quibus in partibus animalis compagis specifice morbus hic sedeat, et penitus ignoratur quaenam sit vera essentia. Omnes medici, ait Reil, conjiciunt juxta opinionem, qua afficiuntur, et tot idcirco habemus hypotheses, in quo sistat diabetes. Rostan verissime affirmabat necroscopias nullam, vel minimam lucem in hujus morbi naturam effudisse.

Absurdum foret sedem diabetis collocare in hepate, uti contendebat Mead, quoniam hujus visceris steatoma invenerat in diabetici cadavere; arbitrabatur inde hunc morbum consequi ex imperfecta mixtione relate ad bilem. Animadvertendum tamen est, ait Reil, succum lacteum non fluere ad renes sub mixtionis forma, sed simul cum urina segregari sub identica succi lactei forma.

Opinatus est alius auctor originem diabetis habendam esse in anomalia functionum cutanearum, et systematis lymphatici, idest arbitrabatur, morbum ex imminutione aut suppressione transpirationis cutaneae pendere, nec non ex aucta vaso-

rum lymphaticorum absorbentium actione, tam ad cutaneam superficiem quam ad internas cavitates pertinentium; et haec omnia ut explicari possit ingens illa urinae quantitas, quae continue evacuatur in diabete, et magnopere cibi atque potus quantitatem exsuperat complexivam; plures tamen hanc opinionem rejiciunt, et praesertim Home, qui supradictum phaenomenon explicare vult affirmans adscribendum esse colliquationi substantiarum earumdem solidarum; et revera individui macies in dies, et oculorum intuitu percrebrescit, quo magis urinarum quantitas augetur.

Baumes hujus morbi naturam locavit in auctis tonicis renum viribus, et post hanc opinionem alii hujus morbi essentiam in irritatione, et aucta renum actione posuerunt: in hanc sententiam ivit et auctor articuli diabetis in scientiarum medicarum Dictionario. Sed ut praetermittam causas, symptomata, methodum curandi hujus morbi penitus contrariam esse affectionibus irritativis et phlogisticis, dicant quaeso quo modo tali hypothesi explicari possit deturbata urinarum qualitas, quam diabetici emittunt? Aucta actio renum posset quidem augere et secretionem urinae, non tamen consequeretur turbatio principiorum, quae urinam componunt; ut id eveniat necesse est, ut in sua crasi turbetur sanguis, qui ad renes refert elementa ipsius urinae, quam deinde ipsi secernunt; necessaria idcirco est in diabete prius massae humoralis turbatio; quamvis ego

364

ita opinor, ut ad evolutionem diabetis reapse concurrat aliqua perturbatio in secretionis renum functionibus. Addatur quod in aliquot diabeticis non solum reperta fuerit turbata in qualitate secretio urinaria, sed omnes fere aliae; non ideo sequitur in fluidis habendam esse deturbationem? Et quam habere potest cum his phaenomenis relationem renum irritatio? Insuper in hac hypothesi quomodo explicanda erit ipsius diabetis periodica indoles, et diabetis mutationes in alios morbos? Quod si in diabeticorum cadaveribus renum textura aliquando turbata reperta fuit, non hoc semper observatum est, et quis affirmare poterit, has ipsas turbationes productas non fuisse ex ipsius diabetis existentia? Et Knebel optime judicavit, morbos renales, qui diabetem concomitantur, oriri ex degeneratione vitalitatis, quae renibus iisdem inhaeret.

Haec et similia alia argumenta valent, et in eos qui contendebant diabetem considerandum esse uti morbum localem inhaerentem systemati viarum urinae, hoc modo excludentes quamlibet in fluidis deturbationem; et hinc insufficientes habebimus illorum hypotheses, qui diabetem ex atonia repetebant, aut ex renum spasmodica conditione; ex conditione aneurysmatica et varicosa vasorum nephreticorum; ex suppuratione abscessuum, et tandem ex renum ipsorum calculis. Admittamus etiam, hos morbos primitivos, et non a diabete productos esse; tunc symptoma tantum, non morbus sui generis esset; tunc non diabe-

tes, sed atonia, renum spasmus, conditio aneurysmatica et varicosa vasorum nephreticorum habetur, et suppuratio, et abscessus, et renum calculus, et contra has alterationes cura medici, et non contra diabetem, qui ut dicimus est tantum symptoma, tendere deberet.

Kausch diabetem sub spasmi cutanei permanentis aspectu observat, per quem inhibita totius aqueae materiei transpiratione, et materies per organicam sympathiam ad renes translata, nunc diaphana, deficiente bile, nunc saccharina separatur. Sed influentia bilis in urinae secretione est hypothesis omnino gratuita, cum urinae color ab ipsa materia urinosa non e bile provenit.

Non de Frankii opinione loquar, nam supra satis diximus, non de opinione Darwin, qui diabetem retrogrado vasorum chyliferorum motui tribuit, nec de illa Dessault quidem, qui unum diabetem ex atonia, unum ex irritatione admittit.

Lister, Burserius, Kampf, et praecipue Rollus diabetem, ut morbosam alimentorum digestionem, et morbosam succi lactei animalisationèm admiserunt.

Nos interim cum Reil has varias opiniones de indole, diabetisque sede, ut phaenomena peculiaria, quae haud sunt negligenda, cum analysim hujus morbi volumus instruere, teneamus.

Quamvis hujus morbi scientia sit tenebris involuta, ex vitiata sanguinis natura non raro procedere mihi videtur. Idcirco duo diabetes, hic primus, alius secundae classis; et hac distinctione

sententias varias de ejus natura conciliamus. Sic ii qui ex vitio organorum digerentium, et qui ex renum et nervorum alteratione provenire putantur, multis in casibus proprias sententias sustinere possunt.

Haud dubium in multis casibus diversum diabeticorum sanguinem inventum fuisse, scilicet turbido sero, lacteo colore, dulcique sapore praeditum, ut Dobson testatur; sic asserit et Frank, quamvis juxta experimenta Home et Rolli sapor dulcis abesset. In aliquot casibus dulcis pariter aegrotorum diabeticorum sudor manavit similis melli, ut Reil asserit. Rollus aegros vidit, quorum saliva et sputa dulcia; et casus fuisse auditur in quibus ptyalismus ac diabetes vicissim apparuit. Notum est, quod Rollus, Cruikshank, Dobson ac Wollaston praeexistens in sanguine diabeticorum saccharinum principium putassent, sed hoc minime consentaneum aliorum omnium observationibus. Tamen eorum sanguinem constitutum esse in perfecta crasi juxta sanitatis ordinem asseri non potest. Nicolas et Guendeville multum seri, et paucum fibrinae invenerunt, minusque elaboratum agnoverunt. Heury et Souberein recentius quartum albuminis minus, quam quantitatem mediam a Berzelio et Durcet in sanguine sano repertam, fibrinaeque defectum confirmarunt.

Ozzann sanguinem mulieris gravidae diabete affectae copiosum coagulum rubei coloris, cupi, absque elasticitate dedisse, subtilemque odoris ac

saporis leviter dulcis serositatem observavit. Reil saepe saepius diabetem cum hydropibus se conjungere vidit; et quis nescit has hydropes cum vitiata sanguinis crasi, in quo principia serosa affluunt, consociari? Hae observationes sufficiunt, ut deducere possimus, in sanguine diabeticorum tales esse elementorum proportiones, quae ejus imperfectam assimilationem, et partis serosae superabundantiam demonstrant. Revera magnus Burserius inter diabetis causas colliquationem sanguinis serosam ponit.

Origo, processus, morbique exitus nostrum propositum confirmant, et quidem causae eae sunt quae organicam assimilationem vitiare, et praesertim in sanguine seri superabundantiam inducere valent. Hae sunt loca humida, nebulosa, nimia sanguinis missio, immodica venus, potus copiosi aquei, fermentati, ceravisia et sicera, vitae otiositas, labores improbi, et omnes aliae, quas supra enumeravimus.

Quoad symptomata Bufalini ait » Rarum non » est in ore acidum saporem, ructus et excessi» vam famem diabetem praecedere. Orto autem » immoderato urinarum exitu, saepe harum quan» titas excedit ».

» Fuerunt diabetici, qui quadraginta et septua» ginta urinarum libras omni die evacuarunt, et » in Commentariis Bononiae casus refertur, nona» ginta septem diebus unum quadringentas et se» ptuaginta libras evacuasse. Hoc tempore diabe» tici siti inexhauribili ardent, et eorum appeti-

» tus sic vorax, ut interdum juxta observationes
» Dupuytren et Thénard quantitatem cibi, quae
» tertiam corporis partem aequiparat pondere, con-
» sumant. Nihilominus emaciantur, internos ar-
» dores exterumque frigus patiuntur, vires quam
» maxime enervantur, gingivae molles, sanguino-
» lentae fiunt, halitus odorem foetidum spirat,
» multis superveniunt oedemata testibus artubus-
» que inferioribus; tandem marasmus fit extre-
» mus et obeunt, qui in hanc laboriosissimam
» infirmitatem incidunt. Frequentiores alteratio-
» nes cadaveris in laxo renum textu, in eorum
» vasis summopere dilatatis, et totius organi am-
» pliori volumine consistunt. Baillie observavit
» stomachum ac hepar sanum, dum alii in his
» sedem morbi collocarunt. Denique non est si-
» lentio praetereundum, diabeticos facillime ex epi-
» demiis contagiosis evadere. Ex hoc ergo signa
» patentia abundantiae seri, et mutationis in assi-
» milationis statu deducimus, ut fere nullum ali-
» menta nutrimentum exhibeant, et corpus actio-
» ni potentiae praecipue infensae ipsi organicae
» assimilationi non cedit. Affinitates materiei or-
» ganicae mutatae insigniter videntur, aliter horum
» phaenomenorum explicatio impossibilis esset.
» Enormitas urinae exitus, mollities omnium tex-
» tuum, ac oedemata copiam seri maximam in ae-
» grorum sanguine testantur, qui sine hoc tanta
» humorum jactura arescere et rigescere ut per-
» gamena deberent ».

Vidimus quae sit therapeia huic morbo consen-

tanea, scilicet illa victus animalis a remediis adjuta, quorum actio ad emendandam assimilationem tendit; organica sanguinis generatione producta similis therapeia possibilitatem originis phlogosis excludit quoties diabetes remediis stimulantibus cedit.

Causae, symptomata et cura demonstrant hujus morbi essentiam esse pluries in gravi sanguinis corruptione sitam; sic Reil, Cullen, Rollus, Bufalini putant. His omnibus ergo de diabetis historia agnitis, diabetem interdum ex vitio organicae assimilationis oriri, et quidem cum dispositione ad serosam colliquationem, concludere oportet.

THESES DEFENDENDAE

I.

Motus vitales motibus massarum corporum non respondent, qui sine intrinseca compagis materiails mutatione operantur, sed motibus potius aequivalent, qui chemiae legibus subjiciuntur, et qui sine interiori unionum molecularium mutatione non adveniunt.

II.

Variationes imponderabilium in organisatione retinendae ut praesentis exterioris influentiae, et praecedentis mutatae capacitatis effectus.

III.

Sanguis eorum qui phlogosi laborant, majori plasticitate, et altiori assimilatione gaudet, quo advenit, ut albumina et fibrina magis elaborentur.

IV.

Quo magis relationes vitae extenduntur, eo magis causae sanitati contrariae augescunt, hinc homo infirmiori salute afficitur quam cetera entia organica, nam ejus vitalis sphaera amplior.

V.

Sanitas, et morbus non sunt duo status qui collidantur, sed duae species dissimiles existentiae corporis animalis.

VI.

Necessitates et instinctus eamdem habent relationem cum trunco ganglionico, ut facultates intellectuales cum cerebro.

VII.

Animalia ac vegetabilia ab officiis generationis remota, abstinentia et castitate longaevam vitam servant; in his robur, in hominibus et vires intellectuales vigent.

VIII.

Senectus actionem organicam extenuans electricam sanguinis intensitatem imminuit.

IX.

Sexualia plantarum organa arescunt, et quotannis cadunt; illa animalium perdurant, aut pluries generationis officia exercent.

X.

Mors nil aliud, quam excrementitia naturae functio.